

ta iit modum sanctificationis

ut nō oīe comū ouī m

en dīr ūn  
gūrūm alle

80  
dīr ūn  
gūrūm alle


ov nicht in Ad

10

Ug 77, 9

Q.F.F.Q.S.  
 DISPUTATIO POLITICA  
 De  
**ARISTOCRATIA,**  
 Quam  
 Auxilio supremi Rerumpubli-  
 carum fundatoris  
 Indultuque Incliti Philo-  
 phorum Senatus  
 Sub moderamine  
 VIRI  
 EXCELLENTISSIMI ATQVE CLARISSIMI  
**DN. M. JACOBI THOMASII,**  
 Dialecticæ Philippeæ Professoris Publici celeberrimi,  
 Collegii minoris Principum Collegiati &c.  
 Domini Praeceptoris ac Patroni filiali cultu & obsequio  
 vitam colendi,  
 In ACADEMIâ PHILVREâ  
 III. Id. Decembris,  
 H. L. Q. C.  
 Publico eruditorum examinis sit  
**Gottfried Pflaume /**  
 Ascaniensis Saxo,  
 Autor & Respondens.  
 Typis VVITTIGAVIANIS.





# Guberna Prospera Altissime!

## Thesis I.



Vemadmodum omnia, quæ in sublunaribus natura aut *Societas*. et  
recta ratio produxit, materiâ & formâ constant, quarum *bilis materia*  
una ab alterâ non nisi mentis conceptu disjungi potest: *& forma*  
Ita etiam *societas civilis* causis hisce internis *indivulso*  
*constat.*  
inter se *nexus cohærentibus gaudet.*

II. Et formæ quidem vices subit *Respublica*, materiæ autem ju- *Forma est*  
xta probatissimos Aristotelis interpretes *civitas*. Giphanius comment. *Respublica*  
*in Arist. Polit. l. 3. c. 4.* Piccartus Proleg. in *Pol. Arist. p. 12.* *& com-*  
*ment. ad cap. 6. l. 3.* Pol. Arist. Job à Felde in anal. *Pol. Arist. l. 3.*  
*c. 6.* Quanquam non ignoramus summum virum *Conringium cap. 4.*  
introd. in *Pol. Arist.* civitatem habere pro toto complectente tām  
societatem ut materiam, quām Remp. ut formam. Sed hāc de re ne-  
mini hic litem intendemus, utpote qui jam missā materiâ aliquam  
saltem formæ speciem sumus excerpturi, ejusque naturam investi-  
gaturi.

III. Quare sufficere nobis impræsentiarum potest, nosse, quod  
*Respublica Aristotelis*, qui eam *IV. Pol. II.* vitam civitatis vocat,  
omniumque accuratiorum Politorum suffragio formæ locum  
teneat.

IV. Pro multiplici autem variatione *78 ueris* sive summi, quod *Resp. dividi-*  
præcipuè consideratur in Rep. variæ etiam nascuntur Reip. divisiones. *tur in simpli-*  
Et primò quidem, quia Majestas vel indivisa manet, vel divisim penes *em & mix-*  
uno plures est, hinc ipsa resp. vel est *simplex vel mixta* *tam.*

V. Mixtam nunc seponimus. *Simplex* bifariam dividi potest, *Simplex in*  
tum à fine in rectam & corruptam, tum à numero imperantium. *bonam &*  
Sunt qui posteriorem anteponunt priori; Hi nec mentem Aristote- *malam.*  
lis expeditam dare, nec ab erroneis opinionibus de naturâ Polycrati-  
carum Rerump. satis cavere sibi possunt. Nos ductum *Aristotelis ē*  
*c. 4. & s. l. III. Pol.* secuti simplicem Remp. statim & immediatè divi-  
dimus in *bonam & malam.*

VI. *Bona seu recta est*, in quâ imperantes commodum publicum  
primariò spectant: *mala seu corrupcia*, in qua primariò respiciunt  
privatum. Cujusmodi *Resp. Aristoteles* *ωρα εκσάτης* nominat;

Latinè reddunt labes, migrationes, exerrationes, transgressiones, quia  
nimirum ab indole genuinæ Reip. salutem publicam pro principali  
fine habentis justo longius abludunt.

Bona & ma-  
la subdivi-  
duntur.

VII. Tandem pro variatione numeri imperantium tām recta quam  
corrupta subdividitur in tres species. Vel enim summa potestas est  
penes unum, vel paucos, vel omnes: aut si  $\gamma\delta\chi\alpha\tau\omega\mu\epsilon\nu$  magis placet,  
dicendum sic erit: In rep. vel imperant omnes, vel non omnes. Si  
non omnes, tunc vel pauci vel unus.

VIII. Hi quoquot jam sint in aliquā Rep. si  $\gamma\delta\chi\alpha\tau\omega\mu\epsilon\nu$  συμφέρον  
respiciunt, bonam constituunt Rēmp.: si secus, malam. Atque adeò  
bona Resp. sunt i. ubi ad communem utilitatem imperat unus, & vo-  
catur *Monarchia*, 2 ubi pauci, & dicitur *Aristocracia*, & 3. ubi mul-  
ti sive omnes, vocaturque ob defectum vocabuli nomine generis *Po-  
tia* sive *Respublica*. Aristoteles VIII. Nic. 10. eam πρωτεστιαν ap-  
pellari posse existimat.

IX. Malæ itidem tres sunt, i. ubi juxta privatum utile imperat unus,  
quæ forma vocatur *Tyrannis*; 2. ubi pauci pari ratione, quæ *Oligar-  
chia*; & 3. ubi omnes, quæ *Democratia*.

Propositio.

X. Hæc est prodiversitate  $\gamma\delta\chi\alpha\tau\omega\mu\epsilon\nu$  succincta quasi syno-  
psi præliminariter exhibita rerump diversitas: quarum singulas ex-  
asse perseqvi longum foret. Ea propter remotā mixtā, & ex sim-  
plicibus malâ, & ex bonis primā ultimāque, Monarchiâ scil. & Politiâ,  
jam Rēmp. simplicem bonam & quidem in specie Aristocratiam ad  
manus sumemus.

HOMONY-  
MIA ARI-  
STOCRATIE

XI. Ex dictis autem liquet, non expectandam hic à nobis Ari-  
stocratiam i. talem, quæ pro ordine magistratum subordinatorum,  
potissimumque Senatus oppidani multis in locis umbram sive imagi-  
nem Aristocratiæ referente vulgo usurpat. Protestati enim th. præc.  
sumus, quod de quâdam Reip. formâ simus acturi. Cūm autem à tali si-  
mulacro absit majestas (cujus rei infallibilis character est recognitio  
superioris) idcirco justæ Reip. nomen non nisi per metaphoram meretur.

XII. Nec II. talem, in quâ modus duntaxat administrandi Aristocraticus est, statu interim reverâ Monarchico vel Populari existente; us  
adè Resp. ea sit quidem, sed Aristocratica non nisi per metaphoram.  
Quemadmodum evenire solet in articulo mutationis Rerump. Ari-  
stocraticarum, & observatum est Romæ ab Augusto & Tiberio Mo-  
narchiam.

narchiam pedentim introducere laborantibus, ubi Consules, Senatores, aliosque magistratus retinuerunt, reapse mutatis omnibus.  
*Clapmar. in arcan. Rerump. l. 6. c. 5.*

XIII. Nec III. talem, quæ cum aliis formis mixta est, & quidem vel cum Monarchiâ, ut in modernâ Rep. Romano-Germanicâ; vel cum Democratio, ut in Româ invâlescente potestate Tribuniciâ; vel cum utraque, ut ibidem durante Dictatorum regimine.

XIV. Ex cludimus præterea IV. Aristocratiam ejusmodi quæ quidem virtutem pro mensura admittit, sed compatitur vitiosarum formarum mensuras, divitias & libertatem. De quali infra monebuntur plura. Hic autem, ut certam Aristocratiæ definitionem habere possumus, quantum fieri potest purissimam & à formis malignantibus secretissimam consideraturi sumus.

XV. Sed antequam ad definitionem progressus fiat, natales vocabuli indagare oportet. Græciæ autem eos deberi, & ad voculas *ἀριστος optimus & ἡγεμόνως rex seu imperio referendos esse*, vel mediocriter Græca doctis manifestum est. Rationem appellationis Aristoteles III. Pol. 5. reddit duplē, vel quia *optimi præsunt*, vel quia *ad communem optimum spectent*. Quarum quidem posterior latior videtur, siquidem ita omnes formæ rectæ Aristocratiæ dici possent, omnes enim optimum commune respiciunt. Prior verò accuratior est, quippe quæ specificam tangit Aristocratiæ differentiam. *prefertur Optimates enim imperare nulli prorsus formæ cum Aristocratiâ com-prior mune est.*

XVI. Hinc Philosophus IV. Pol. 7. optimo, ait, jure hanc Remp. In Aristocratiam dici, utpote in qua viri non *ὑποθέσαι* sive comparatè, sed absolute boni habeantur ratio: In eâ namque eundem esse & civem bonum & virum bonum: in aliis verò esse bonos pro Rebus p. Quibus vult innuere, quod sicut quis licet Ethicè malus, bonus tamen potest esse artifex; ita & in certo Reip. statu (corrupto puta) improbus quantumvis vir possit esse optimus civis & Reip. accommodatissimus. Hoc verò in Aristocratiâ usu non venire, sed conjunctum ibi esse officium & viri & civis boni. Unde perspicuum est, quām pulchrè vocabulum rei ipsi consonet.

XVII. Latinè salutatur potestas optimorum; potestas optimatum; SYNONYMIA Resp. optimatum; status, forma, potentia, dominium, Regimen, gu-

A 3 bernatio,

berniatio, optimatum. Leonardus Aretinus Latinis vocibus in versione  
suâ strictè inhærente satagens reddit Latinè pauciparentiam. Sed Græ-  
co vocabulo jamdiu assyeverunt aures Latinorum. Unde Conringius  
in introd. in Pol. Arist. cap. ult. p. 648. notat tralationem Sepulvedæ  
& Petri Victorii alioquin eximiam, quod abstineant à Græcæ originis  
vocabulis illis, quæ usu possint & debeant τεχνικα redi: quale est  
αριστοκρατία, quod unico vocabulo dicere cum possimus nullo ora-  
tionis virio, ejus loco semper uti longā περιφέρει status optimorū  
nimia superstitionis est. Eandem superstitionem deprehendimus  
quoque in Javello, qui per totum secundum tractatum, in l. 3. Arist.  
Pol. ubi tamen explicatio Aristocratiæ prolixè traditur, ne semel qui-  
dem Aristocratiæ voce utitur. Sed hoc ὡς ἐν πάρεγδῳ.

Vocatur  
ἀριστ.

XIX. Aristoteles IV. Pol. 7. αριστήν vocat, ubi de Rep. Lacedæmo-  
niorum dicit, quod ibi sit μέγιστη δημοκρατίας καὶ αριστῆς h. e. Democra-  
tiæ & Aristocratiæ. Alias etiam Oligarchia & Aristocracia promiscuè  
adhiberi solent, minus tamen convenienter, nisi cum utraque in ge-  
nere notat statum paucorum, præscinditque ab Aristocratiæ & Oli-  
garchiæ in specie sic dictis.

XI-X. His explanatis ad definitionem Aristocratiæ progredimur.  
Quam Aristoteles more solito per cap. 5. l. 3. Pol. sparsam exhibit,  
unde si eliciantur verba ad eam pertinentia atque concinnentur, sic  
**DEFINITIO.** sonabit integra: Aristocracia est Respublica, in quâ pauci, plures ta-  
men uno, prout communis utilitas postulat, imperant. Quò trahendus  
Bodinus, ut agnoscat tandem, quâ fronte neget, Aristocratiam ab Ar-  
istotele esse definitam, cùm ne punetum quidem ejus omiserit.

ENUS:  
XX. Definiti genus est Respublica, quæ Græcè πολιτεία atque a-  
lias non immerito anima, forma, vita, & descriptio civitatis audit.  
Giph. in cap. 4. l. 3. Pol. Arist. Conf. th. 3.

XXI. Esse autem Remp. Aristocratiæ genus univocum, inde patet,  
quia definitio Reip. omnibus formis rectis ex æquo competit. De-  
finitur autem Resp. III. Pol. 4. ordo civitatis & Magistratum,  
maximeq; illius, qui summam potestatem habet, communis utilitatis  
gratia.

**DIFFEREN-**  
**TIAE.**  
(1.) **GENE-**  
**RICA.**  
XXII. Differentiam dedimus duplē unam à fine alteram à sub-  
jecto. Prior generica est. Nam finis ille, cura scilicet salutis publicæ, o-  
mnibus formis rectis (ceu contrarius corruptis) communis est, atque  
ad eō

ad eō ipsam Rēpubl. à formis corruptis, quae tantum ὁμονίως Res-publicā dicuntur, specificè distinguit, & est quasi Lydius lapis, ad quem omnes Resp. exigendæ, teste Arniseo l. i. Doctr. Pol. c. 7.

XXIII. Id quod vel ipsa appellatio Reipublice poterat indicasse: Dicunt enim Respublica, h. e. res ad populi seu publicam salutem spe-ctans, omnesq; adeò qui ad Rēpubl. clavum sedent, admonet, ne sua commoda spectando naturam Reip. invertant & è publicâ privatam fa-ciant. Cellar. 2. Pol. c. 1.

XXIV. Quare etiam Aristocratia ut forma bona commune incre-mentum tanquam scopum primarium sibi præfixum habet, quem u-nicum Imperantes strenuè petere jubet. Sed non putandum, nullum planè ex curâ boni publici ad imperantes, redundare commodum, quin potius ex osculandus discursus Aristotelis, quem III. Pol. 4. in-stituit hunc ferè in modum. Sicut nauta per se in columitatē totius Optimates secundariū navis querens, cum & ipse vectorum unus suū, ex eventu in columitatis fit suum quæ-particeps; pater-materq; familias primario totius familiae saluti stu-rant com-dentes, secundariū suam inde decerpunt, & paedotribā exercens disci-modum pulum, scipsum exerceat: Ita quoque optimates primarias curas in con-servationem totius civitatis convertentes, se consequenter ipsos, cum ejusdem membra sint, tutantur.

XXV. Simil autem hinc intelligitur, quales sint, qui in hac Rep. Optimi qui Imperant: Optimi scil. h. e. verā virtute ac prudentiā præditi. Eā enim sint, qui carent, quidvis potius quam communem salutem pro ultimo fine habebunt.

XXVI. Altera differentia petitur à numero subjecti imperantis, & (2.) SPECI- speciale inter Aristocratiam cæterasque formas rectas discrimen con-FICA-tituit. Continetur autem in his verbis: ubi pauci, plures tamen uno imperant.

XXVII. Quæ ut rectè intelligantur, multitudinis ac paucitatis vo-quomodo in- cabula dextrè hic explicanda sunt. Evidē certum est paucos op-telligenda ponit multis: sed si magnum aliquem numerum in partes inæquales dividat, v. g. Rēpubl. 1000. civium in 900. & 100. duplex se offeret multitudine, una totius, comparatione cuiuslibet partis seorsim; altera partis majoris ad minorem: ubi animadverte, hanc ipsam posteriorem multitudinem, si cum toto comparetur, verè paucitatem esse. Res in numeris est clarissima. Sic in allato exemplo 1000, multi sunt, vox pauci, sive

sive cum nongentis, sive cum centum compares. Nongenti vero, ut minoris partis respectu multi sunt, totius tamen contemplatione haud dubie sunt pauci. Nimirum & duplē paucitatem hīc deprehendimus, unam partis minoris ad majorem, (100. ad 900.) alteram partis cuiuslibet ad totum seu universam multitudinem (100. vel 900. ad 1000.)

*paucitas partis ad totum Aristocratiæ essentialis est paecis ad imperium, paecis ad huic formæ verè accidentaria est.* Sive ergò in proposito exemplo partem ac- nongenti sint optimates sive centum, dummodo penes optimos stet. cidentaria, imperium, ad essentiam Aristocratiæ nihil refert. Pauci enim utique imperant, hoc est, non omnes, non universa civium multitudo.

*Verba hæc plures tantum uno non stant otiosa.* XXIX. Quâ ratione luculentum etiam hoc est, definitionem nostram nullum *ταυτολογίας* crimen incurrere, quod vocabulum paucum uno non immediate excipient verba hæc: *plures, tamen uno.* Posset enim quis oggerere: ubiunque pauci sunt, ibi etiam plures esse uno. Sed negamus posteriores illas voculas in priori includi, quia pauci significant non omnes: *Non omnes autem non nisi à Politia Aristocratiæ distinguntur; nam in Monarchia etiam non-omnes imperant.* Debuit igitur addi aliquid, per quod Aristocracia ab ipsâ quoq; Monarchia distinguntur.

*Error Bodini* XXX. Non ergò audiendus est Bodinus, *de essentia Status paucorum et aliorum.* rum esse existimans, ut pauciores imperent, quam pareant, & Democriæ esse, ubi 900. viri optimi imperent 100. subditis. Elegante sanè Democratam, quæ ex virtute mensuratur! Nihilo tamen minus patrocinium hujus sententiæ suscipere videntur Reinh. König Disp. Pol. V. §. 16. ubi statuit, optimates dimidio pauciores esse debere universis: Et VVolffg. Heiderus in Syst. Phil. Pol. cap. 6. p. 893. & 894. ubi cum deum senatum Remp. Aristocratiæ facere putat, qui numero minor sit.

XXXI. Sed impingunt omnes. Nam ut silentio transmittatur, quod modò attigimus, paucorum nomine hic venire non-omnes, sive dimidio plures sive pauciores sint universis; reponimus saltem, quod 3. Pol. 5. Aristoteles ad similem objectionem respondet, Multitudinem videlicet & paucitatem hujusmodi tantum accidentales Oligarchiae differentias esse, veras esse divitias & paupertatem, sic ut ubi divites impe-

imperant, sive pauci sint, sive multi ad se invicem, ibi sit Oligarchia, ubi pauperes, Democratia. Quia tamen plerumque (si non semper) dicitur sunt pauciores, inde factum, ut ex penè perpetuis accidentibus hisce formis nomina sint indita.

XXXII. Hæc responsio, quin præsenti quoque quæstioni accommodetur nihil impedit, siquidem non minus Aristocratiæ quam Oligarchiæ in respectu ad Democratiam accidentale est paucos pluribus imperare. Et proinde non opus habemus, ut formam, in quâ plures virtute prædicti paucioribus imperant, vel ad Democratiâ referamus, vel de novâ specie præter sex superius recensitas excogitandâ laboremus. Sive enim simpliciter pauci imperent, sive dimidio plures, dummodo optimi sint, nihil refert: Sufficit eos in respectu ad totum (ut explicatum est th. 28.) paucos nuncupari posse.

XXXIII. Dicis: quomodo paucitas & multitudo possunt esse acci- Objectio.  
dentale discrimen Aristocratiæ & Democratæ, cum numerus imperan-  
tium sit differentia specificans Rerum publ. formas? Hic quid respon- Solutio.  
deat Piccartus apud eum ad III. Pol. c. 9. p. 409. videri potest. Nobis  
ex hac tenus dictis facilis responsio est; Numerum illum qui specificare  
dicitur Republicas abstrahere non à multitudine & paucitate  
partis ad partem: sed à multitudine totius ad partem, & paucitate par-  
tis ad totum.

XXXIV. Unde elucet, primò cum paucitas & multitudo Aristocra- in Aristocra-  
tiæ sint accidentaria, & verò accidentia mille modis queant variare, tia certus  
certum in Aristocratiâ numerum definiri non posse. Arnis. Pol. l. 1. c. 10.  
§. 2. Imò utut largiamur, Senatum in Aristocratiâ debere esse nu-  
mero minorem parentibus, tamen fieri nequiret, ut universalis nu-  
merus determinaretur. Etsi enim vix probabile est, in ulla unquam  
Aristocratiâ vel ei analogâ specie imperantes numero subditos excessisse,  
tamen experientiâ constat, modò binos, modò tres, modò de-  
cem, modò 28, modò 100, modò 200, modò 300, breviter, modò plus  
modò pauciores imperasse.

XXXV. Deinde cùm dictum sit, rectas Respubl. à pravis essentiali-  
ter differre fundamento: fundamentum autem bonarum citrâ con-  
troversiam sit *virtus*, hinc cernimus, quod non sufficiat in Aristocratiâ  
paucos imperare, sed præterea ut pauci illi virtute præsent, necesse  
sit (respice th. 16. & 25.) Et huc spectat illud Philosophi effatum III.

Polit. 7. Viros bonos imperare oportet, & omnium rerum esse Dominos.

Dissentit Bodinus.

XXXVI. Quod pro more suo non veretur allatratre Bodinus, dum Aristocratiam, ait, esse, si minor pars civium summo imperio gaudeat, sive sint optimi, sive flagitosissimi, sive nobilissimi, sive ditissimi, sive egentissimi, sive bellicosissimi. Sed quis non videt hisce ipsum Aristocratiæ nomen reclamare? Ubi enim flagitosissimi imperium tenent, nonne κακιστορεπτία potius (ut liceat ὀνοματωτοῖς) quam Aristocracia erit? Deinde hoc pacto confunditur Aristocracia cum Democratia, ubi denum egentissimi, & Oligarchiâ, ubi ditissimi imperant. Heid. in S. st. Phil. Pol. cap. 6. p. 896. Totius hujus απόδευτις, nisi fallimur, hic fons est, quod nimis præcipitanter ad Respubl. à numero dividendas se dedit, antequam eas à fine distingueret.

Pauci illi optimates debent sum-  
mam habere potestatem.

XXXVII. Præterea non perinde est, optimates imperare sive cum summa sive subordinata potestate, sed strictè requiritur, ut independentem potestatem habeant. Nam per τὸ ἀρχεῖν Philosophus nihil intelligit aliud, quam summam potestatem, maiestatem, arbitrium urbis, imperium ἀνωτεύουντος, summum imperium seu summam imperii (ut loqui amat Cicero) habere. Hoc enim important Græcæ voces τὸ κύρος, τὸ τελίτευμα: quorum posterius pessimè redditur à non nullis administratio civilis, ratio civilis administrationis, ratio vel modus gerenda Reipubl. &c. Giph. ad III. Pol. c. 5. & Picc. ad cap. 6. ejusdem libri.

XXXVIII. Atque ita definitionis tam genus quam differentias inspeximus. Consectarium est, ut non nihil de speciebus, opposito, & agnato Aristocratiæ subjungamus: quibus peractis, resolutio dubiarum quarundam circà presentem materiam questionum toti disputationi coronideim imponet.

Aristocratiæ  
divisio in pu-  
ram & im-  
puram.

XXXIX. Species Aristocratiæ sumptas ex variis Rerum publ. terminis seu scopis, qui sunt virtus, divitiae, & libertas populi, variisque eorum permixtionibus exponit Philosophus IV. Pol. 7. Nos rem in pauca colligentes dicimus, Aristocratiæ vel esse puram vel impuram.

XL. Pura quidem est illa ipsa, quæ hactenus à nobis exposita pro summa mensura solam habet virtutem, utpote quæ est verum & qualitatis & inæqualitatis personarum fundamentum, pro cuius modo distribui debent administrationes publicæ. Quod fusè probat Arist.

III. Pol.



III. Pol. 6. removendo mensuras imperfectas & secundum quid, divitias scil. & libertatem, ideo qui perfecta civitas non sit permaneatur vivendi tantum, nec mutui auxilii, nec commerciorum, sed benè beateque vivendi causâ.

XLI. *Impura* aliàs *mixta* dicitur, non quidem eo sensu, quo supra th. 4. Rempubl. in simplicem & mixtam divisimus; ejus enim mixturae fundamentum erat *divisibilitas majestatis*: Hujus verò est diversitas *summæ mensuræ*. Quando enim virtus compatitur vel divitias, Fundamen-  
vel libertatem, vel utrumque tanquam mensuram vel æqualem vel su-  
periorem, Aristocracia impura sive mixta dicitur.

XLII. Ex quo cognoscitur, impuram trium esse generum. Nam II. quando in legendis magistratibus præter virtutem ratio quoque habetur divitiarum, miscetur Aristocracia cum Oligarchia, ut *Venetiis fieri putat Micraelius in reg. Pol. scient. l. i. c. 15. §. 16.* 2. Si virtus & libertas respicitur, miscetur cum Democratiâ, ut olim *Lacedaemonie*, quæ divitias studiosè exterminabat. Et 3. si concurrit respectus virtutis divitiarum & populi, miscetur cum utrâque, ut *Carthaginie*, ubi Ephori erant ex populo, Senatus ex Oligarchicis, Rex ex Aristocraticis, *Micrel. modo laudato libro c. 13. §. 6.*

XLIII. Quatuor igitur in universum sunt Aristocratiæ species, qua- Pura est spe-  
rum prima germanissima atque perfectissima est, & idealis vocari cies perfe-  
commodè potest, quia est ad votum magis, quam ut sperari possit, etissima &  
in ideâ potius, quam veritate *Micr. in jam cit. cap. §. 10.* Reliquæ tres, idealis tan-  
quas in comparatione ad idealem possibiles vocaremus, non tamen A- tum.  
ristocratiæ sunt, (quanquam ita vulgo usurpantur) quam Aristocra- Impure pos-  
tiæ veræ & principis morbi aut intemperies, quia omnes aliquid vel sibiles.  
Oligarchici vel Democratici vel utriusque imperii admixtum ha-  
bent. *Picc. & Giph. in l. IV. Pol. c. 7.*

XLIV. Interim non dissimulandum est, quod non repugnet in Aristocratiæ purâ Aristocratiâ simul virtutis, divitiarû, & æqualitatis communis & non excludit aliorû honorû, quæ ad Reip faciunt administrationē, & imperantibus autoritatem & benevolensiam conciliant, haberi rationem, dummodò datur opera, ut priora primo, media medio, posteriora posteriori- daria, *Volffg. Heiderus in Syst. Phil. Pol. c. 6 p. 89j.* hoc est, si virtus pro primariâ habetur mensurâ, reliquarum autem cuique pro suâ dignitate vel utilitate secundus tertiusve ab hâc locus vendicatur.

XLV. Si autem series invertitur, & planè insuper habitâ virtute præcipuè spectantur vel divitiæ vel libertas popularis, vel utrumque, ne quidem impura Aristocratia dici poterit, sed pura vel Oligarchia vel Democratia, vel aliquid ex hisce mixtum.

An eruditio XLVI. Bodinus miratur, cur Aristoteles in speciebus Aristocratiae quoque non mixta, nec nobilitatis, nec eruditionis, nec formæ decentisq; staturæ bilitas, forma &c. con corporis aut similius fecerit mentionem? Sed sciat, eruditionem ab fituant Aristotele virtuti, nobilitatem virtuti & divitiis inclusam censeri; Aristocratie formam autem, robur, & his similia jure neglecta esse, ut quæ planè species?

Oppositum

non debeant in conferendis magistratibus attendi. Evidem qui formâ superant alios, inter pueras sponsum optantes vincent, qui robore inter athletas, qui celeritate inter Gymnicos, imperii verò prærogativam nullâ juris specie obtinebunt, ceu innuit III. Pol. 8.

XLVII. Ex hactenus positis facilè confici putamus, quodnam & quid sit Aristocratiae oppositum. Labes enim Rerump. inquit Aristoteles III. Pol. 5. apertæ erunt explicatis formis reælis. Quare hic officio paucis defungemur.

XLVIII. Dicitur Græcâ voce Oligarchia, quia ut plurimum contingit opulentos in Republ. pauciores esse; & definitur modò dicto capite, quod sit principatus paucorum divitium suum emolumenatum concilato publico quærentium.

XLIX. Dum paucorum dicitur, distingvitur à Democratiâ & Tyrannide; cætera verba eam à Rebus p. rectis discernunt. Quod enim corrupta sit, finis declarat. Nam si pauci ad suam omnia utilitatem detorquent, multi excluduntur è civium numero; quod Aristoteles jam dicto loco probat tali argumento: *Quos convenit esse participes utilitatis publicæ, illi aut redunduntur participes, aut non sunt cives: sed non redunduntur participes.* E. Si verò aliqui è civium numero excluduntur, paucis omnia ad suos usus intervertentibus, corrumpitur certè Respublica.

L. Imprimis autem divitiarum mentione specificatur Oligarchia. Est enim huic formæ hoc esse essentiale, quod è divitiis tanquam è supra mensurâ in avaritia ad capessendos honores æstimatur.

LI. Atque hoc est illud δικαιον, quod docente Philosopho HI. Pol. 6. propositum habent Oligarchici. Existimant nullâ re plus conferri ad Rempubl. quam divitiis. Secundum divitias enim qui sunt in aequali, iis, inæqualia deberi, justum putant.

LII. Vee

LII. Verum hoc pacto non attingunt justum ἀπλως, sed saltem inchoatum, sive ut Favellus loquitur, usque ad talem terminum, siquidem bona virtutis sunt simpliciter bona, bona vero externa non nisi in quantum sustinent rationem mediorum ad illa tendentium. Et praeterea justum est aequaliter tam ex parte rerum, quam personarum: Oligarchici in propriâ causâ decepti iudicio, justum duntaxat metiuntur ex parte rerum. Vid. Favell. in III. Pol. Arist. tr. 2. cap. 2.

LIII. Peccant igitur in eo, dum justum habentes solummodo inchoatum, putant se habere justum absolute, & sic mancum jus pro vero & pleno afferunt, perfectum & plenum, quod est virtus, negligentes Picc. in III. Pol. Arist. cap. 9.

LIV. De cætero pro diversitate census, & legum vel adhibitione vel neglectu quatuor exurgunt Oligarchiæ species. Prima, cum ex censu mediocri dignitates conceduntur, quæ præ cæteris commendanda. Secunda, cum ex censu magno. Tertia, quando imperium ditoribus adhæret familiis, sic ut semper filius patri succedat. Et in his omnibus attenduntur leges. Ultima vero omniumque pessima est, in qua non curantur leges, sed cuncta à libidine divitum dependent.

LV. Et tantum de opposito Aristocratiæ. Agnatum ejus A- AGNATUM. aristoteles IIX. Eth. Nic. 12. ubi singulas formas rectas singulis societibus domesticis assimilat, statuit societatem conjugalem.

LVI. Sicut enim, cum maritus imperio in uxorem sibi per natum demandato recte utitur, omnesque actiones ad communem societatis salutem promovendam dirigit, si cætera sunt paria, non potest nisi tranquillum, jucundum & frugiferum esse matrimonium: Ita etiam quando optimates omnibus consiliis ad commune totius civitatis bonum tendunt, non potest aliter fieri, quam ut floreat Resp. aliasque secus gubernatas longo intervallo post se relinquat.

LVII. At contraria sicuti societas mariti & uxoris est quieta in turbulentam degenerat, si vel maritus omnia aut pleraque bona non virtutis suæ sed potentiae fiduciæ sibi reservat, vel uxor, cui amplum obtingit patrimonium fortunâ dulci ebris (ut ait Venusinus) viro spreta ejus virtute & naturali ad imperandum aptitudine dominatur: Sic & Aristocracia in Oligarchiam transit, simul ac imperantes post habitâ virtute juxta censem constituuntur.

LIX. Expeditis & his nihil restat amplius nisi ut promissam supra dubiorum quorundam evolutionem subnectamus.

QVÆSTIO  
PRIMA.

Nulla qui-  
dam unquā  
pura Aristo-  
cratia exti-  
tit:

LIX. Et primò quidem in controversiam vocari posset, an recte tot paginas in enucleandâ Aristocratiâ consumperimus, cum tamen, in quo eam definitivimus statu, nuspia terrarum inveniatur?

LX. R. Evidem ultrò largimur, quod nulla unquam Aristocra-  
tia (ut nec Monarchia & Politia) sine temperamento extiterit, neque  
ostendi etiamnum possit. Si enim inspicimus nobilissimas po-

tentissimasq;ve in Europâ Venetorum, Belgarum, atq;ve Helvetiorum  
Respublicas Aristocratiæ qvām maximè vicinas, sanè multum iis par-  
tim Oligarchici partim Democratici admixtum esse deprehendimus.

Heid. in Syst. Phil. Pol. cap. 6. p. 894. Cujus ratio à Politicis redditur  
hæc, qvia imbecillitas in hac vitâ non patitur, imperantes abs-  
q;ve ulla exceptione perpetuò bonos & cives pariter & viroesse, qvod  
ad absolutissimam formam, qualis Aristocratia nostra est, requiritur:  
unde temperatæ Rerumpubl. formæ humanis ingenii accommoda-  
tores sunt. Microl. in reg. Pol. scient. l. 1. cap. 13. §. 8. Feld. in anal.  
Pol. Arist. l. IV. c. 7.

Sed talem ta-  
men recte  
Politiq; con-  
siderat.

LXI. Hisce tamen non conficitur, inutilem esse, quæ de purâ atq;ve  
ideali Aristocratiâ suscipitur tractationem. Enimverò in Ethicis  
summum bonum in tanta perfectione proponitur, quantam nemo  
mortalius assequi unquam valuit, saltem ideo ut statuatur mensura,  
ad qvam examinetur, qvām propè hic vel ille à perfecto summo bono  
absit. In Physicis item elementa in eo puritatis statu definiuntur,  
quem fortassis nunquam attigerunt, non aliam ob causam, qvām  
quia in definitionibus ad essentias rerum, quæ puræ sunt, respicimus,  
de existentia, quæ ut plurimum impura est, minus solliciti. Ad eun-  
dem quoque modum Philosophus simplices Rerumpubl. formas in  
tanta rectitudine & puritate definivit, quanta cogitari maxima potest,  
tùm quia hoc definitiones essentiæ quærentem maximè decebat, tùm  
ut sic habeamus mensuram, unde æstimari queat, qvām longe hæc vel  
illa Respubl. à determinata rectitudine abscedat. Hæc ad primam  
quæstionem.

QV. SECUN-  
DA.

LXII. Deinde disputationis serra inter Politicos etiam in hac trahi  
solet: Utrum Monarchia, an verò Aristocratia sit formarum optima?

LXIII. Aristoteles III. Pol. 7. de prærogativâ unius Reip. præ alterâ  
sic

sic disputat; quod quò plures in Rep. maneat in honorati, eò deterioris ea sit conditionis, cum honorum expertes ex invidiā male soleant affecti esse erga honoratos.

LXIV. Quâ regulâ si metiri luberet Monarchiæ & Aristocratiæ præstantiam, hæc procul dubio vinceret: & omnino præ omnibus formis paucorum statum commendatum cupit Aristoteles. Verum quia ibi videtur aliquid indulisse genio Græciæ suæ, Regio statui tum temporis inimicæ, è verioribus fontibus rem arcessendam ducimus.

LXV. Essentialia Reip. fundamenta unanimi probatiorum consensu statuuntur *unitas*, conspicienda in eâ parte penes quam ἡ οὐεστον est, & inæqualitas inter eisdem Reip. cives, siquidem subditi, ut sic, imperantibus inferiores sunt. Unde sequitur, ut in quâ Rep. est summa unitas & inæqualitas dicto modo, ea reliquis habeatur præstantior.

LXVI. Huc si respicias, proclive erit colligere, quod Monarchia formis omnibus, secundùm hanc autem Aristocratiæ, utpote quæ quām proximè ad unitatem Monarchicam accedit, Politia palmam præcipiat.

LXVII. Sin autem circumstantias pensitare velis, vix certi quid statui poterit. Hoc enim pacto suam quælibet forma prærogativam habebit: & imprimis Aristocratiæ Monarchiæ palmam faciet ambiguam.

LXIX. Quo factum dixerim, ut plerisque Europæis nationibus, et si Monarchicum regimen non abhorreant, hoc tamen vix aliter quām Aristocraticè temperatum arriserit. De Imperio Romano-Germanico nota est vox *Electoris Moguntini* in comitiis Imperatoriis de anno 1519. *Nobis imprimis Aristocratiæ retinenda est.* *S. eid, l. 1. p. m. 12.* Quæ quidem verba non id portendunt, quod Bodino persuasum fuit, Imperium nostrum esse simplicem Aristocratiam; sed Aristocraticam procerum Imperii potestatem, quæ Monarchicam Cæsaris temperat, ut libertas Germanica incolumis servetur, sanctè esse custodiendam. Sed hæc obiter.

LXIX. Tandem quæritur, an Aristocratiæ arctis territorii finibus circumscripta essentialiter imperfectior sit illa, quæ ad amplas civitates prævincias atque nationes porrigitur? In cuius questionis negativam ire

non



non veremur hæc persuasi ratione : Quia in omni Republ. tam  
amplâ quam angusta est majestas, ad cuius essentiam parum facit loco-  
rum & provinciarum latitudo. Cell. l. 2. Pol. c. 7. §. 14.

LXX. Alia autem est quæstio, an hæc Aristocatia sit potentior illâ;  
qñæ sano sensu affirmari potest. Sed interim à potentia ad majesta-  
tem arguere non licet, & multiplicatio urbium non inducit prærogati-  
vam, cum majestas, tanquam aliquod incorporale, non sit patrimonio  
qualitas, sed personæ dignitas. Spreng. in Syn. jur. publ. c. 1. quæst. 4.

CONCLUSIO.

LXXI. Atque hæc sunt, quæ de Aristocratiâ more Academico  
proponere libuit. Potuisset quidem latius diduci hæc materia &  
forsan nonnihil de causis mutantibus & conservantibus Aristocra-  
tiam apponi. Sed ne partem prudentificam cum scientifica videa-  
mur commiscere, subsistimus, gratias nuncupantes summo Rerum-  
publ. autori & tutori, quòd Rempubl. Romano - Germanicam pa-  
triâ nostram invavissimam sub alis clementiæ suæ hactenus prote-  
gere, & intentatos hostium impetus retundere voluerit. Eudem ca-  
lidis votis precamur, ut eam ulterius fovere, & bella, pestem, famem,  
aliaque mala clementer avertere dignetur.

COROLLARIA.

Inconveniens est distinctio majestatis in realem & personalem.  
Voluntas non potest cogi. Appetitus non fertur nisi in bonum.  
Omnis virtus moralis tenet mediocritatem, contra Hug. Grot.

Eruditiss. DN. RESPONDENTI.

**N**emo civilem magister rectius scientiam.  
(Pauca demas) explicavit, atque Nicomachi pater.  
Hunc ego sequor libenter : hunc scholas poscentibus,  
Quâ fide possum, revelo. Tu mihi præ cæteris  
Non modò aure, sed cerebro, quicquid hîc proponerem.  
Visus es, Pflaumi, laborem consequendi sumere,  
Idque monstrat luculenter Disputatio hæc tua.

Propriâ nunc, Godofrede (nam uales) industriâ  
Aureos aude vagari per Stagiritæ libros :  
Esse verum deprehendes, sæpe quod dixi tibi,  
Virgulâ notare multos, cognitum quod non habent.

Honoris ergò appos.

PRÆSES.

Gloria Protectori Altissimo,



94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

002 381 974

3



56.

VDT 17



privatissimis et exquisitis libris


A.

oines et omnia que in

commodum suorum

**FarbKarte #13**

B.I.G.  
Black  
White  
3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



60

Q.F.E.Q.S.  
**DISPUTATIO POLITICA**  
*De*  
**ARISTOCRATIA,**  
*Quam*  
**Auxilio supremi Rerumpubli-**  
*carum fundatoris*  
**Indultuque Inclyti Philo-**  
*phorum Senatus*  
*Sub moderamine*  
**VIRI**  
*EXCELLENTISSIMI ATQVE CLARISSIMI*  
**DN. M. JACOBI THOMASII,**  
Dialecticæ Philippeæ Professoris Publici celeberrimi,  
Collegii minoris Principum Collegiati &c.  
Domini Praeceptoris ac Patroni filiali cultū & obsequio  
vitam colendi,  
In ACADEMIâ PHILVRCA  
III. Id. Decembris,  
*H.L.Q.C.*  
Publico eruditorum examinis sit  
**Gottfried Psalume/**  
Ascaniensis Saxo,  
Autor & Respondens.

*Typis VVITTIGAVIANIS.*

